



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXVIII. Quæ Danielis Cap. 11. vers. 31. & sequentibus dicuntur, ad Pontificem non pertinent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

necesse est; nam dies duo millia trecenti totidem anni erunt.

Sexto, Antichristus sicut Antiochus sine manu conteretur, at iam omnes ministri suos reges hortantur, ut bello Papam perficiantur, & carnes eius vorant. Frustra id suadent, si Papa manibus non est conterendus.

CAPVT XXVIII.

Quæ Danielis cap. 11. vers. 31. & sequentibus dicuntur, ad Pontificem non pertinent.

§. 1. **T**EXTVS ita habet. Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem. Et impij in testamentum simulabunt fraudulentè: populus autem sciens Deum suum, obtinebit & faciet. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumque corruerint, subleuantur auxilio paruulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulentè. Et de eruditis ruent ut consensur: & eligantur, & dealbentur vsque ad tempus presinitum: quia adhuc aliud tempus erit. Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum; & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia, perpetrata quippe est definitio. Et Deum patrum suorum non reputabit: & erit in concupiscentiis faminarum, nec quemquam Deorum curabit: quia aduersum vniuersa consurgit. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: & Deum quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis. Et faciet ut muniat Maozim cum Deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito. Et in tempore presinito praeliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus & in equitibus, & in classe magna: & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet. Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent: haec autem sole saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principum filiorum Ammon. Et mittet manum suam in terras: & Terra Aegypti non effugiet. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti: per Lybiam quoque & Aethiopiam transibit. Et famas turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone: & veniet in multitudine magna ut conterat, & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclitum & sanctum: & veniet vsque ad summum tatem eius, & nemo auxiliabitur ei.

De quo illa dicantur intelligi non potest, nisi accuratè sensus intelligatur, qui idcirco apud multos dubius est, quia cui applicanda sint illa facta, nesciunt. Nam quidam etiam nouatorum ita omnia Antiocho accommodant, ut in eo sistant, alij alio feruntur.

Hu verbis
describitur
Antichristus.

Sed dicendum est sermonem esse de Antiocho, quia eius progenies, & facta describuntur, idque à v. 24. certissimè. Deinde in Antiocho, ut in figura describi Antichristum. Ita tamen ut nonnulla soli Antiocho, alia Antichristo soli conueniant, cum tamen Sectarii omnia facta Antichristo accommodant, nos eorum vestigia sequemur, & ostendemus ad Pontificem non pertinere. Non sunt illi solliciti ut Danieli exponant, sed ut verba illius proponant, & deinde collectis vndique famosis libellis, & publicis calumniis ea Pontifici impingant.

Brachia.

§. 2. V. 31. Et brachia ex eo stabunt. Septuaginta habent σπέρματα, semina, quod interpretantur, de Eupatore Antiochi filio, qui Judæos etiam ipse oppressit. Legerunt illi זרעים, Zarghim, semina, pro זרעים, Ze-

roghim, brachia. Sed de Eupatore non puto accipienda esse, non enim ille abstulit iuge sacrificium, imo nec potuit, restauratum iam erat, & se Macchabæi fortiter defendebant. Brachia igitur sunt quos Antiochus Judæis atrocissimos imposuit. Ita i. Macc. 5. 22. Reliquit autem propósitos ad affligendam gentem; Ierolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliterem, eo ipso à quo constitutus est. In Garzim autem Andronicum & Menelaum, qui grauius quam ceteri imminuebant ciuitibus. Cumque oppositus esset contra Judæos, militi odiosum principem Apollonium cum exercitu 22000, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, iuuenes ac mulieres vendere.

Horum facta sunt. Sanctuarium polluere, profanare: describitur res gesta 2. Macc. 6. & lib. 1. cap. 1. à v. 40. Deinde שִׁכְּוֹת שִׁכְּוֹת Schickutz, Melchomem, dabunt abominationem desolationis, seu desolationem, seu obstupescientem. 70. vocant ἡ ἀβὸν μακαρίων, abominationem non apparentem, ita Romanus habet codex, melius alia exemplaria, καὶ δαδὸν ἐδὲλμα καὶ ἡ ἀβὸν μακαρίων, dabunt abominationes eorum quæ è medio sublata sunt, simulacrum Jovis quod nihil erat, quia idolum nihil est. v. 37. Et impij in testamentum simulabunt fraudulentè, populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet.

Hebr. verba sunt emphatica מְרִשְׁעֵי בֵּרִית מְרִשְׁעֵי בֵּרִית Vmarichighe, Berith, Jahaniph, Bechalakoth, quod in Græco vertitur, καὶ οἱ ἀνομώτερες διαβήναι ἐπὶ τῶν ἐν ὁλοσφύμασι. Hebræa ad verbum ita verti possunt. Et peccatores testamenti faciet peccare, simulare, impiè agere in blanditiis, Græca, peccantes testamentum traducet in ruinis, seu lubricitatibus, hoc est, lubrico casu. Noster legit, יַחַנִּיפּוּ, Jachaniphu, peccabunt, simulabunt, nam hoc verbum peccare significat, sed præcipue cum hypocrisis, & simulatione perniciofa, eodem modo etiam Græci legerunt. Est verò Job. 34. 30. & 36. 13. חֲנֹפִי, Choneph, hypocrisis. Sunt verò illi qui i. Macc. cap. 1. vers. 12. Disponunt testamentum gentibus, omnes deinde qui fraudulentè populum Dei deciperunt, aut decipere sunt conati. Hoc etiam fecerunt Antiochus Eupator, libro i. Maccab. 6. 61. & cap. 7. 5. 10. & 28. Nicanor. & cap. 9. 58.

§. 3. Hæc profanatio, & abominatio non est in Pontifice, sed in ducentis sectis, quæ à Pontifice defece-
runt. Nos in prima religione permansimus, nihil à prima fide mutauimus, ut ex ipsiusmet aduersariis probauimus, quia Martyribus tribus, & triginta Pontificibus auspicantur nostrum, ut vocant Antichristianismum. Si fraudulentos queris, vide testimonia Lutheranorum, & Calvinianorum contra se mutuo, nulla supererit dubitatio. Sacrificia sustulerunt, Sacramenta profanarunt, adeo ut non alio fere nomine à Lutheranis vocentur, quam Sacramentfchēder, & Sacramentichv vermer. Sacerdotes occiderunt, ipsa sanctorum corpora effoderunt, atque in cineres redegerunt. Ad Pontificem & Catholicos id pertinet quod sequitur: Populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet.

§. 4. Ita populus fortis contra Antiochum victor in prælio, victor in tormentis, i. Macc. 1. 56. & seq. lib. 2. cap. 5. cap. 6. cap. 7. Nec aliter nobilissimi martyrum tempore Antichristi, si enim patrum memoria, & diebus nostris, theatrum crudelitatis Calvinificæ in Gallia sustinuerunt, & nunc adhuc variis in locis sustinent, si patientia sua carnificum ingenia superarunt, cur non in summo illo grassantis Antichristi terrore, diuina virtute protegentur, ut tum quoque bestiae cruentissima se se opponant? Macchabæi quidem lib. 2. cap. 2. 47. dicuntur perferantur filios superbiam, & prosperatum esse opus in manibus eorum, obtinuisse legem de manibus gentium, & de manibus regum.

Abomina-
tio desola-
tionis.

Simulato-
res plus ipsi
hostibantur
cent.

Fraus à Pon-
tificis abst.

Populus
fortis sciens
Deum.

regum, & non dedisse cornu peccatori. Agimus tibi gratias magne Deus, quod populus sciens Deum, etiam nunc obtinuerit, & faciat, & inter tot millia errorum in fide antiqua permaneat. Horrescit animus cum video intra paucos annos innumerabiles hareses produsse, & ab una aliqua opportunum quemque abreptum esse. Eas ipsas inter se collatas esse, & infestissime concurrisse. Interea tamen video in prisca fide Martyrum, in canone Apostolorum, in Ecclesiis quæ traducem doctrinæ, & Episcoporum, à primæ Ecclesiæ acceptum manere tot millia, ex errantibus redire tot millia. Benedictus Deus, qui fecit, ut populus suus faceret, ut non daret cornu peccatori.

§. 5. Versic. trigesimo tertio. Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & captivitate, & in ruina dierum.

Hæc quoque de Maccabæorum tempore, & Antichristiana persecutione accipienda sunt. Nam & tum in doctores populi præcipue rabies impiorum incubuit, & nostro quoque tempore sacerdotum, monachorumque multa millia trucidata, & quidem nouo tormenti genere trucidata sunt.

Docti in populo, *עם רשעיהם* *maschile gham* intelligentes populi, vel etiam intelligere facientes populum, miris enim modis eos persequuntur, gladio, igne, ferro cum possunt, calumniis, cum non possunt. quis vnquam à condito mundo atrociores calumnias, quam illustrissimus, & doctissimus Bellarminus expertus est? Quis ordo hodie ita expositus est, quasi signum ad sagittas, quemadmodum societas Iesu, cuius hoc institutum est, ut omni generi hominum, docendo proficit, ex qua etiam ceteri ordines refluunt, quam Clemens octauus societatem ingeniorum appellare consuevit?

Hic iactantur, atque agitantur in rapina dierum, in Hebræis nonnullis additur, *רבים* *thabim* multorum. Vt vero lector iudicet quæquam partem persequatur, Ministrorum pseudo-Euangelicorum in Catholicis vrbibus libertatē, & aliquando proteruiam perpende, at Societatis nostræ alumnis sine irrisu, conuitiis, interdum iniquis detentionibus, lapidationibusque transire oppidulum vix licet, in quo regimen est prædicantium, nec inuadit pax religionis, nec magistratus veritatis auctoritas, ministerialis furor omnes odio veritatis, & vera docentium imbuunt.

§. 6. Versic. 35. Et deruditur ruent, ut consensur, & eligantur, & dealbentur vsque ad tempus præfixum, quia adhuc aliud tempus.

Finis tribulationum est, profectus fidelium, & sanctorum. Ruent enim non à fide desciscendo, sed pro fide fortiter occumbendo, *לצורם בהם* *Lazeph bahem*, ad consilandum in illis, quemadmodum Malachia 3. sedet Deus, quasi ignis consilans. Metalla enim igne mundantur, & fideles tribulatione. Stipula exuritur, aurum purgatius exit. Ut eligantur, Hebr. *רלבח* *vlbachar*, quod eligendi, & mundandi significationem habet; Græcus textus *ἐκλέγεται*.

Dealbare in Hebræo est, *רלבן* *vlaban*, & ad dealbandum, quædam Græca pro *ἐλευκάνει* habent *ἀποκαλύπτειν*. Nunc illa incipiunt, seutiente Antichristo, pii & constantes eximie proficiunt: cuius nunc quoque videmus exempla, quot enim fideles principes, nobiles, quot canonicorum collegia, quot monasteriorum cætus sese reformarunt, & nouis legibus omnia vitiorum irritamenta excluderunt?

§. 7. Versic. 36. Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur, aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigitur, donec compleatur iracundia, perpetrata est quippe definitio.

Duplex est sententia, primū de solo Antiocho accipiendum, Bruchthonus, Iunius, Tremellius, alii

Caluinistæ ita interpretantur, ut ostendant frustra eos laborare, qui hæc Pontifici aptare student. Peticianus primum Antiocho, deinde Turcis accomodat.

Altera sententia de Antichristo interpretatur, sed dupliciter: Primo de Antiocho & Antichristo simul, alii de Antichristo solo: Catholici de vero Antichristo, Antiochi antitypo, Sectariorum alii de Turca, alii de Pontifice Romano, alii de vtroque simul. Iubiliarii pro suo instituto omnia ingenti maleficientia ad Papatum, hoc est omnes principes Catholicos referunt. Erhartus Lauterbach compendio refert alienas calumnias prima conc. Quia nota generalis est, inquit, Antichristi, secundum suam voluntatem faciat. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, ita in iure Canonico: Papa in his quæ vult, pro ratione est voluntas. Antichristi Canones citat eo modo quo illi qui non videntur, nempe distinct. 19. cap. si Romanorum caus. 9. quæst. 3. cap. Cuncta, & causa 16. quæst. 3. cap. nemini. In his non conceditur Papæ ut quilibet, siue æquum sit, siue iniquum sit, possit agere pro arbitrio, sed tantum suprema iudicandi potestas in spiritualibus, à qua non sit appellatio, quemadmodum in politicis regi eadem datur. Nec omnino aliud ex his verbis concludi potest. Itaque quod licite honesteque iubet, id sequendum: Papæ, si mala iubeat, non est parendum, & si iniuriam inferat, licita est contra eum inculpatæ tutelæ defensio, quam contra tyrannum Iurisperiti, & Theologi concedunt, non tamen est iudex superior ad cuius cognitionem Papa citetur.

§. 8. Hoc igitur loco probatur futurum, ut alius sit Antichristus. Nam qui non secundum suam voluntatem, sed leges diuinas, canones, & statuta patrum Ecclesiæ gubernat, non est Antichristus. At Pontifex ita gubernat, & si quis ab ea lege recedit, à Deo reprobat, & Ecclesiæ turbat. Quod vero dicatur interdum pro ratione esse voluntatem: id non affirmant canones, sed quandoque dicunt iurisperiti, & eo sensu, quo in omnes iudices id conuenit. Nam qui expensis controuersiarum momentiis litem decedit, rationem non reddit, sed ex auctoritate iudicat, ne perpetuo res agitur, & controuersie nunquam finiuntur. Deinde in rebus ad prophetas, quas fieri oportet, sed diuerso modo, & recte quidem fieri possunt, sed opus est vniuersi & consentiente agendi ratione: vnam determinare potest Papa bonam, honestam, sed quæ tamen ex natura non magis hoc quam illo modo fieri postulat. Sic in Republica lex vocatur voluntas principis, quæ multa constituuntur, quæ alio quoque modo recte fieri possunt, sed tamen propter pacem, & quietem Reipublicæ voluntas principis tenenda est, nec debent eius iusto arbitrio rationes suas subditi opponere. Sic intelligendus est Carolus Magnus in viginti tribus capitulis, quæ ad omnes prouincias milit, quæ sunt in Luone, & Concilio Triburiensi, &c. & distinct. nonagesima cap. tertio. In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeant Ecclesiastica magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas: Vt licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. Si vero (quod non decet) quilibet, siue sit presbyter, siue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio infidando, redarguatur falsam ab Apostolica sede detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non venerit, salua fide, & integra circa Apostolicam humilitate, penes Episcopum sit potestas, vtrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, vsquequo per Epistolam, aut per idoneos sue partis legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid

richristo accipiend.

Ex hoc loco constat Papam non esse Antichristum.

Voluntas principis ex duobus vrbibus vnam deligit.

Carolus Magnus ceteri non facit le damnamus qua Pontifex sancti.

quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat definire, vt & is corrigatur, & ceteris modis imponatur.

Nam de illis quæ iusto ordine lex Romana definit, quæ sepe vix ferenda putantur illis, quorum est ante-occupata sententia vel voluntas, subditi non recte iudicant. Interim Pontificibus omnibus illa posita lex est: Causa vigesima quinta cap. nono. Prima salus est, fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare. Non igitur secundum suam voluntatem Papa agit, sed ad præscripta legum suam voluntatem accommodat.

Vana etiã
ad subsidium
quarunt.

§. 9. Nec facit Pontifex quod de Antichristo Daniel Vaticinatur. Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum. In Hebræo *וַיִּשְׁתַּלְחֶם* Vaijthromem, sese eleuabit, & *וַיִּגְדַּל* Vaijthromem, quod prædicantes quidam valde exagitant quasi in Romam, ipsam Romam teneant. Deinde *וַיִּגְדַּל*, & magnificabit se. Non videtur id conuenire Antiocho, qui Iouem Olympium, Liberum, aliosque Deos peruersissima superstitione coluit. Itaque Antichristi illa est infamia, qui nec veri, nec falsi Dei vilius reuerentia à sceleribus retrahetur.

Calumnia.

Papam ait Erhartus Lauterbach, nec Deum, nec demonem, nec cælum, nec infernum curare. Et Lutherum Romæ audisse hæc verba. *Yst ein Helle / so stehet Rom drauff / si est infernus, super eum Roma ædificata est.* Probat vero: Quia mandat angelis vt animas Romipetarum cælo inferant, cibos, dies prohibet, peccatum facit, quod non est peccatum. Deinde dicitur à canonicis Deus, Augustinus Boetius scribit illum omnia posse, quæ Deus potest. Itē Philippus Decius.

Antiochus
Deum coluit.

Hæc accurate consideremus. Ad Antiochum regem quod attinet, Deos ille coluit eximie, ita Polybius apud Athenæum, *ἐν ᾧ τοῖς θεοῖς τὰς πόλεις θύοις καὶ τοῖς θεοῖς τὴν θύον πρὸς τὴν πόλιν ἀντιπαρατίθεται, ὡς πρὸς τὴν πόλιν ἀντιπαρατίθεται, ὡς πρὸς τὴν πόλιν ἀντιπαρατίθεται.* Neque vero huius contemptus causa videtur sufficiens, quod nullius Dei reuerentia, à scelere abstineret, nam & hoc athei, Epicurei alique fecere permulti, imo sceleribus numina sua coluere. Videatur & alia apud Athenæum pars de pompa, quam duxit. *πάντων γὰρ τῶν θεῶν τοῖς ἀνθρώποις ἀποδιδόμενον, ἢ νομιζόμενον θεῶν, ἢ δαίμονων ἀποδοτέον καὶ ἡρώων εἰδωλὰ διηγὰτο, τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δὲ ἡμιεσμένα σολαῖς διαχρυσούσας, ὡς πᾶσι τοῖς θεοῖς ἀποδοτέον καὶ τὰς ἀποδοτέας ἰσοῦσας ἐν διασκευαῖς πολυτέλεις παρέκτετο.* deinde ait cum cum mimis saltitasse, καὶ ἡ γὰρ γλωττοποιῶν. Tandem in fine addit *ἰεροσολικὴν καὶ τὰς πόλεις τῶν ἱερῶν.* pleraque templa sacrilege spoliavit. Ecce idem supersticiosissimus esse videtur, & in Deos tamen maxime esse impius.

Antiochus
Deum negauit.

§. 10. Verum Antichristus nullum Deum curabit, sed vt secundæ Thessalonicensis secundo, quarto dicitur. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens seipsum, tanquam sit Deus, & primæ Ioannis secundo, Negabit Christum.*

Pontifex
Deum colit.

Pontificis igitur innocentia hoc loco valide comprobatur. Deum enim veneratur, seruum seruum Dei se proficitur; Angelis non mandat, sed eos orat. Est quædam oratio amicitie fidentissimæ, & mandantis, ille omni die orat, *Sancte Michael, sancte Gabriel, omnes sancti Angeli, & Archangeli orate pro me.* Deus non vocatur nisi eo modo quo Principes Scriptura vocat Deos, & vicarios, eo maiore gradu, quo Spiritus potestas sublimior est temporalis. De Augustino, & Decio mendacium est luculentum. Deinde quis hominum est adeo rerum humanarum rudis, vt credat, aliquem dixisse, Papam omnia posse, quæ potest Deus? Hominem plerumque infirmum, senem. Fœda est calumnia à quibusdam ficta, ab aliis arrepta. Nos Anathema dicimus illi; si

Orat Angelos.

Deus est vt
principes,
& sacerdotes.

Non potest
omnia quæ
potest Deus.

quis dicit Papam posse omnia, quæ potest Deus, §. 11. Deus bone, si verba captari fas est, vt vetera taceam, quæ non hoc anno scripta sunt? Ecce tibi Scharpius rudis, & maledicus nebulo, vocatur Alcides, serenissimus Iacobus Rex magnæ Britanniæ Britannus Iupiter, sic enim Stephanus Gilbertus legum doctor vtrique adulatur hoc anno.

Quondam à supremo missus in terras Ioue
Insecta teneris orbis incunabulis
Portenta forti stravit Alcides manu.
Extrema terris monstra qua languens dedit
Mundi senectus perdere BRITANNVS volens
IUPITER, benigno SCHARPIVM emittit sinu.
MACTE rediit domitor, i tanto auspice:
Varicana quicquid (certa Christicolam lues)
Spelunca diuis prodidit, Cacos, Lycos,
Ipsamque septem capita pandentem Feram
Et ferro & igne perdoma. Quanto hac noua
Peiora prisca, quippe non solum truci
Dedit nec corpus, est animam quoque,
Tanto Hercle nobis, maior antiquo venis.

Hoc anno
Scharpius
Hercules,
& serenissi-
mus Iacobus
Britannus
Iupiter
dicitur.

Ferro & i-
gne in Pa-
mam agen-
dum aui.

Maiores
Scharpius
Hercules.

Sed his omissem accuratius spectemus. Antichristus non factis modo, sed professione, & palam negabit Christum esse redemptorem, quia vero Christum oppugnat, idcirco Iudæos sibi conciliabit, inimicos crucis Christi, hoc non fecit Pontifex, sed damnat, non igitur est Antichristus. Deinde Christum fatetur esse Christum, esse saluatorem, omnem se ab eo habere potestatem, sine illo nihil posse, illius sanguine se redemptum; ad Christum omnes vocat.

Tertio, Distingunt ipsi Antichristum in eum, qui communiter, & qui proprie dicitur Antichristus, sicut communiter & Pouellus l. 1. c. 1. §. 3. Antichristum communiter vocant eum, qui quoquo modo Christo aduersatur, vt sunt Iudæi, Gentiles, Hæretici. Proprie regnum aliquod Christi regno oppositum, aut eius regni caput. At illi quos improprie vocant Antichristos palam negant Christum, ergo & ille qui proprie dicitur Antichristus, cum sit illis & potentior, & deterior, & sedeat in templo, ostendens se tanquam sit Deus. Quarto. Ita S. Patres interpretantur: Hilar. lib. 6. de Trinit. Hippolytus ait, eius characterem fore, vt negent homines baptismum. Hier. in Dan. hunc locum simulaturum se ducem esse fœderis. Greg. lib. 11. Epist. 3. Coacturum Iudaizare. Quinto. Veniet in suo nomine, non igitur, Christum & Christi vicariam præteritis suis blasphemias. Bezai itaque recte in 2. Thess. 2. monet, Antichristum ad se translaturum non hominum modo honores omnes, sed etiam quicquid gloriæ cuiusque munimi vsquam fuit exhibitum. Quod in Pontificem non conuenit, qui quotidie genua sua Deo flectit publice, & priuatim, qui non modo Deum vt summum initium, & summum bonum adorat, sed minore etiam cultu Dei amicos prosequitur. Exemplum est in Gregorio 14. ita de eo Cicarella. Singulis feriis sextis ieiunabat: & feriis quartis à carnibus abstinebat: nisi forte aduersa valetudine impediretur. Precum horariorum pensum, tam ordinarium, quam de Domina (vt vocant) flexis semper genibus persolvebat. A somno mane surgens mox septem psalmos penitentiales incipiebat, & dum se se vestiret, prosequatur. Meditabatur mane hora integra, legens opera mellisui Bernardi, & si quos ex iis bonos erueret mentis conceptus, eos diligenter annotabat concinnet, scribebat. Quamdiu sacerdos fuit, nullo die sacrum dicere intermisit: nullo non die confessus est, nisi infirmitas impediret, quo minus id facere posset. Cum autem infirmabatur, quotidie ab alterius manibus Eucharistiam suscipiebat. Quod si infirmitas lethalis fore videretur, cum multa quoque deuotione extrema se vñctione procurari mandauit.

Pontifex
humiliter
Deum colit.

Nihil tale Antichristus, videbunt eum *ἐν τοῖς δεικνύουσιν τὰς ἐκείνου ἐν ᾧ ἐστὶν θεός.* Ostendunt, quod sit Deus. Iren. l. 5. Amb. in c. 21. Luca, ait, eum ex scripturis disputaturum se

rum se Christum esse. Theodor. 2. Theff. 2. Nominabit se Christum. Nullo igitur modo effert se supra omne creaturam, quod etiam peruersè interpretantur Lutheranorum rudiores, dum volunt significare cultum, quos bene refutant Caluinistæ dum nomen vertunt.

Nequaquam nomen est, non cultus.

§. 12. Nec aduersus Deum deorum confurget, aut magnifica loquetur, seu *ἐπεὶ γὰρ* valde iunida, vt habent 70. quod in hebræo *נִפְלֵאוֹת* niphleoth est, hoc est mirabilia. Dei enim opera mirabilia proficitur, & eius omnipotentia docet omnia constare. Testor omnes & Catholicos & hæreticos, nunquam de Dei maiestate, potentia, bonitate, personis accuratius esse doctum & scriptum, quam ab illis qui in Papatu vixerunt, & viuunt. Libri ipsi loquuntur. Cur igitur viri tam multi tam docti, qui infinitissimam Dei naturam ita scrutantur, & tam multa cognoscunt, ferre Papam possent, si Deo se quocunque modo anteponeret, aut æquaret? Aut quomodo Papa ex Theologis assumptus suæ imbecillitatis memor eo se erigeret, unde cum non modo scripta Theologorum, sed regum etiam gladii detraherent? Quod si Papam genibus nixum, aut humi stratum orantem audirent, miserere mei Deus, &c. Si consistentem peccata sua, & flentem viderent, an adhuc de *ὑποτάξει* negotium illi facerent? Confirmatur illa eadem ratio. Et Deum patrum suorum non reputabit, Hebræus textus *עַל אֲלֹהֵי אֲבוֹתָיו* *ghal elohē abotau lo iabin* super Deos patrum suorum non intelligit, *ὅτι πάντες τὸς θεὸς ἴδον* *patres eon ē sūmōes*. Nec hoc tantum, sed nec quempiam deorum curabit, quia aduersum vniuersā confurget.

Papa patrū Deum colit.

Nullum siue verum siue fictum Deum curabit Antichristus, sed aduersus omnes Deos *לִישְׁגָּדֶל* *lish-gaddel*, se magnificabit. si hoc facit is, qui proprie est Antichristus, hoc est regnum Papæ, aut regni caput, hoc est ipse Papa, id saltem agant, ne nos multiplicis idololatriæ accusent. Si enim nullum Deum curamus, non igitur sanctos facimus Deos.

CAPVT XXIX.

Ex eo quod dicatur Antichristus fore in concupiscentiis sceminarum non recte pontifex accusatur.

Antichristi castitas.

§. 1. IN Hebræo textu anceps est locutio, *וְעַל הַמְּדָה נִשְׁמָה וְעַל לֹא אֱלֹהֵי יִבְיָן* *veghal chembda neshchim, veghal lo elohē iabin*, super concupiscentiis sceminarum, & super Deum non intelligit. Græcus textus aliud nō habet, de hac nota Antichristi, quam *καὶ ἐνδοξία γυναικῶν*, & concupiscentia mulierum. Ita hodierna lectio. Sed aliter habuisse 70. ostendit D. Hieronymus, cuius verba ponenda sunt. Pro eo quod nos interpretati sumus, & erit in concupiscentiis sceminarum 72. translulerunt, & concupiscentiis sceminarum non subiecit &c. Quia vero in Hebræo pro eo quod nos diximus, & erit in concupiscentiis sceminarum, ambigue positū est, dicente Aquila, qui verbum expressit ē verbo *καὶ ἐν δόξῃ τῶν πατέρων αὐτῶ ἐ σὺν ἵσθι*, *καὶ ἐνδοξία γυναικῶν*, *καὶ ἐν δόξῃ τῶν πατέρων αὐτῶ ἐ σὺν ἵσθι*. quibus verbis intelligitur eum habere concupiscentias sceminarum & non habere, si intellexerimus *ἐν τῷ κοινῷ*, super concupiscentiis sceminarum non intelligit. De Antichristo facilius interpretatio est, quod ideo simulat castitatem vt plurimos decipiat. Si autem legimus: & super concupiscentiam sceminarum, vt subaudiatur, erit, Antichri persona magis coaptabitur, qui luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per supra & corruptelas venisse regia dignitatis, vt mimis, quoque & sortis publice augeretur, vt libidinem suam populo presente expleret.

Si itaque de Antiocho intelligitur, satis intelligitur monstrum illud fuisse supra omnes alios *γυναικῶν*

μυέρ, & mulierosissimum, & non modo prostituta pudicitia, sed etiam pudoris, testantur historiae. Frustra igitur sunt, qui hoc de crudelitate interpretantur ex 2. Macc. 5. 13. Nam ne mulieribus quidem percit: vertuntque, & ne ad teneritudinem sceminarum quidem attendet; semper enim atrox visum est, esse crudelem in sceminas,

Nullum est enim memorabile nomen

Feminea in pena, nec habet victoria laudem.

Sed ad rem quod attinet, *חַמְרִי* *chamadi* non est teneritudo, sed desiderium, pulchritudo, & non intelligere super desiderium, est non desiderare, sic & Iob. 3. 1. *וְיָמָה אֶתְכַבְּרִי עַל כְּחוּלָּהּ*, *vma Ethbonen ghal Bethula?* Vt quid me facere intelligere super virgine?

Mihi sententia Pererii & aliorum non displicet, vt illud; super desiderium mulierum, separatim ponatur, & sit subaudiendum *חַמְרִי* *hu* vel *יְהִי* *ihie*, ipse, vel erit: quomodo etiam Græci & Hieronymus exponunt. Nam primo, omnium etiam hæreticorum est sententia, Antichristum libidinosum futurum, & quamuis initio castitatem simulabit, mox tamen Antiochum suum ad viuum exprimet, & equis præcurret albis. Secundo ex Apocalypsi ostenditur eius lasciuia. Tertio, non obstat crudelitas, nam qui crudelis est, ille & in venerem putris est, & qui libidinosus etiam crudelis, nam sunt vtriusque affectus signa physiognomica non diuersa. Denique diaboli instrumentum erit, quod non crediderim castum, & purum fore. Id præcipue cum Antichristi præcursores veteres & noui, venerei nepotes se vltro infamarint, Lutherum libidines transuersum egerunt, Carolstadius primas nuptias iniit, Caluini trigmata, Beza paradigmata nota sunt, Ochinus Polygamiam instituit.

Antichristi effusa libidines.

Antichristi præcursores libidinosi sunt.

§. 2. Obiciunt Iubilantes ex Pouello not. 18. 27. Papam vetare nuptias, & adiciunt permittere eum scortationes. Exempla adferunt.

Respondeo. Matrimonium nulli prohiberi, nisi qui voto se castitati obstrinxit. Fidem castitatis Christo datam irritam non licet facere. Adulteria & scortationes grauiter inhihet. Sententia Papæ variis locis proponitur, mihi sufficit causa 17. quæst. 1. cap. 20. Nubendi licentia quibusdam tribuitur: illis videlicet, qui virginali, vel vidualem castimoniam nequaquam professi sunt, quibusdam autem non tribuitur; illis videlicet, qui virgines, vel continentes esse decreuerunt. Fornicatio autem nulli impune conceditur. & c. 21. Meliore proposito lapsas, si nupserrint, sceminas à castitate sanctiori, qua vouerunt Deo, adulteris esse peiores manifestum est.

Nuptias Pontifex non vetat, vnde castitatis obstrictus, se libertate illa priuauit.

De toto genere videantur canones causæ 32. q. 4. item q. 5. 6. 7.

His enim matrimonium laudatur, adulteria, scortationesq; vetantur. At Pontificum nonnulli impure vixerunt. Negare non possum; nec ad Ecclesiæ defensionem est necessarium. Non tamen ideo ministri excusandi. Qui ita argumentantur: Pontifex aliquis est scortator, Antichristus est scortator, ergo Pontifex est Antichristus. Quis enim non videt, hæc talia in multos eorum magnates conuenire? Quis miseram consequentiam non videt fertila castigandam? Si enim vbi regum aut principum aliquis deliquit, mox regnum est infamandum Antichristianismo, nihil toto orbe sincerum est. Editæ enim regum aut principum innocentium seriem; etiam eorum qui à vobis docti non sunt, legem de adulteriis seruati non posse. Si ad rationem res veniat, vincemus. Ad exempla respondeo. Quædam esse perspicue falsa, vt de Gregorio 7. aliisque, alia ab inimicis ficta. Quorundam ante Pontificatum licentiorum vitam fuisse, in summa dignitate correctam esse. Summum sex aut octo fuisse, quorum in tam sancta functione vita improba fuerit, de pontificibus loquor, nam pseudo-papas nihil moror, non magis quam Iasonas, & Melaeos,

Adulteria, scortationesque vetantur.

Principum peccata non continuo regnum faciunt Antichristianum.